


Ubi uero iam manus illiusq; partium altitudinem constitueris, latitudinem quoq; deinceps perquires. Ceterum rationem quam supra in imaginum picturis sequendam proposui, nempe uti primo loco figuræ obliquæ habitudo vestigaretur, eam hoc loco rei proprietate seruata tenere non poteris. Itaq; priore loco palmæ explicatæ quæ obliquæ stature non est latitudines, per suas partes dispones hoc modo. Palmam per iuncturam ubi cum brachio committitur facies in transuersa. d. latam septem. 19. eius longitudinis quæ est in spacio. a. b. Palmam uero per transuersam. m. facies undecim. 19. huiusmodi partib; Nam per pollicis articulum latiss; esse debet. Ceterum eam latitudinem man² quæ sit ab extremo indice per lineam transuersam. l. perq; imos digitorum articulos, eius cuius supra facta est mentio circinationis fragmentum uersus iuxta radicem minimi digiti, eam in q; latitudinem indicis longitudine metieris. Medium digitum qui longiss; est, ima sui parte latam facies una. 5. parte proprie longitudinis. Summa uero sui parte, eam latitudinem coactiorē facies subducta una. 4. Indicem imum tam latam facies quam medium digitum feceras, Summum uero paulo contractiorē. Digitum minimum huiusq; proximum singulos latos facies imos una. 5. proprie longitudinis, sed ab hac latitudine detrahes summis unam. 4. pollicem medium una. 3. suæ longitudinis dilatabis.

Digitum imi in manu ita infiri sunt ut singulorum radices in eorum latitudinum media penetrant, quod ipsum in exemplis paruulis circulis notatum expressimus.

Considerandum, hoc loco nullum digitum in manu alteri similiter et conformem inueniri, quod cuius inquirenti facile apparebit. Etiam hoc animaduertendum, palmæ totius non esse directam extensionem sed iuxta minimū digitum hanc quasi extrahari.

His confectis etiam obliquæ manus latitudinem siue densitatem exquires, ea esto per compaginem ubi cum brachio coniungitur lata quinque. 19. longitudinis. a. b. Per pollicis imum articulum et transuersam. n. dimidium duces eius latitudinis quam palmæ explicatæ esse debere supra demonstrauimus. Tantum duces et iuxta uolam per pulpulam. Sed quia illa parte manus in uolam quasi concauatur intus conuergentib; imis partibus pollicis et minimi digiti, sit ut obliquæ manus tanta densitas non sit atq; apparet, et extreme lineæ exprimentur. Per priorem articulum facies pollicem ita densum uti spaciū est minimi digiti a summo articulo sursum, sed in fastigio contrahes subducta ex hac densitate una. 4. Rursus qua ad inferiorem articulum tendit bene et assilum facies digitorum omnium ea forme erit obliqua latitudo id est densitas, quam ostendimus in explicata palma, in articulis tantum alicubi hoc fallit.

Atq; hoc modo notata manus longitudine, latitudine, et densitate consequenter formam illius in scriptis conuenienter lineis effinges, cuius rei exemplum a nobis subiectum uides. Quod si quis imitari uolet, et magna censeo diligentia allaborandum nequid deprauet neue in linearum ductib; deliret. Quandoquidē has congruenter depingere non uulgaris opere neq; ingnaue manus est.



Nunc deinceps pedem siue calcem hominis ualidi exactius et perquisitus describā, ut de manu feci, ducta similiter ratione ad longitudinem corporis cuius caput inueniatur una. 8.

Huius igitur una. 6. pedi dabitur, qui dilatabitur in unam. 17. Quod spatium in unum quadrilaterum includito, quod pro rei natura oblongum sit, Quod qua parte superioris sui erit longius ad eam ascribes notam. a. ad huc respondentem inferiorem longiorem partem. b. laterum uero breuiorum prius hoc est dextrum qua digiti spectant, signato littera. c. posterius iuxta calcaneum. d. In hoc quadrilaterum depingetur pes sic, uti planus depressusq; positus omnia latera ipsius attingat. Huius autem quadrilateri longitudinem diuides primum inter. c. d. lineis duabus. e. f. in æqualia spatia tria, ita ut e. præponatur. Quo loco obseruandum, quamuis literarum notæ promiscue positæ fuerint, tamen priores censeri semper, quarum uomina priora sint prolata. Atq; ita istis spatiis dispositis, In primū inter. c. e. constitues digitos pedis, In mediū inter. e. f. quicquid est pedis patenti inter digitos et talos ubi sunt ossa et nerui. In postremū calcaneum et iuncturam cruris cum pede. Postea diuides lineam. d. punctis sex. g. h. i. k. l. m. In septem æqualia spatia, et ex puncto. g. rectam lineam duces ad lineam. c. ubiq; illa hanc attigerit scribes notam. n. Ubi uero sciderit perpendicularem. f. scribes. o. Postea diuides. l. m. per mediū puncto. p. ex quo puncto ducentur parallelos ad perpendicularem. f. ubiq; eam attigerit, eo pones. q. Atq; inde mox ad. k. obliquam lineam duces. Postea punctum. r. collocabis in medio latere. e. medium inter. a. b. ac mox. r. b. diuides duobus punctis. S. T. in æqualia tria spatia. Postea diuides. b. e. punctis duobus. v. x. in tria æqualia spatia. Atq; etiam diuides. e. f. lineis duabus. y. z. in æqualia tria spatia. Etiamq; diuides. f. d. punctis duobus. st. f. in æqualia tria spatia. Mox ubi lineam. g. uideris secantem lineam. e. ibi ascribes notam. s. Postea ex puncto. h. duces transuersam lineam, ad lineam. f. Ubiq; attigerit ascribes. a. j. Postea diuides. r. s. punctis duobus. j. 2. in tria æqualia spatia. Diuides etiā. r. e. duobus punctis. j. 2. in tria æqualia spatia. Ac deinde diuides. f. d. punctis quatuor. j. 2. 3. 4. in quinque æqualia spatia. Etq; puncto. 3. lineam duces perpendicularē ad transuersam. h. a. j. ubiq; appones notam. b. j. Hoc loco sciendum, secundum hanc nostram rationem breuiorū linearum notas omnes reperiri inscriptas transuersæ lineæ. a. Unde deducantur et obliquæ aliquot una. e. n. diagonios. Item una. r. s. Itemq; una a puncto. 2. inter. r. s. ad punctum. y. Item una. t. z. Itemq; una. b. o. et ipsa diagonios. Item una. v. a. j. Postea duces a puncto. st. rectam lineam ad obliquam. f. q. ubiq; attigerit, ascribes. e. i. Postea circini pedem unū infiges puncto. s. attingente altero punctū. n. Hunc igitur in illo ut dictum est fixo in. s. circumages deorsum uersum ad obliquam usq; lineam. r. s. Atq; ita etiam num retento fixo pede illo circini circumages ulterius ab obliqua. t. z. ad obliquam. b. o. Præterea eodem in loco fixo uno circini pede, paululum ad duces alterum ut attingat punctum. 2. in linea. b. intra. x. e. atq; inde prorsus circumages usq; ad obliquā. b. o. Deinceps adhuc quidem illum unum pedem circini infixum relinques puncto. s. uerum paululum diduces circinum, uti pes alter tangat punctum. r. atq; inde circumages deorsum uersum ad usq; obliquam. t. z. Atq; his curuis lineolis digiti pedis illorumq; extremitates notabuntur. Quorū quidem imi articuli, et cū pede iuncturæ ita disponantur, punctum statures in linea. e. mediū inter obliquas. b. o. et. v. a. j. Ibidemq; collocabis digiti pedis qui minimo est proximus imū articulum. Postea circini unum pedem infiges puncto. z. et alterum in istum iam factum punctum in linea. e. Et fixo illo pede in. z. circumages hunc sursum uersum usq; ad transuersam. g. n. ubiq;